

Bapt. De Rossi et S. um Paulum de Cruce (pag. 464). Hac pagina, in nota 34, lector remittitur ad opus RP. Gustavi CANTINI OFM, cui titulus: *Uno scelto operaio nella messe: S. Leonardo da Porto Maurizio e la sua predicatione* (Roma, Cuggiani, 1926), opus inter nostros forsitan vix cognitum, at utillimum illis qui circa artem oratoriam sacram et missionalem institutionem quaerunt. Laudatus Cantini, pag. 113-114, de tribus Sanctis, supra nominatis testibus in laudem sancti missionarii franciscalis, explicita verba transscribit (De S. o Alfonso provocat ad *Lettere* I 474 et II 232-233).

LIBRORUM CENSURA

Salvatore GIAMMUSSO, *I Redentoristi in Sicilia. Memorie Bicentarie, 1761-1961*; Palermo-Uditore, Collegio PP. Redentoristi, 1960; pp. 275, ill.

Opus suum cl. auctor scripsisse fatetur actus duplici stimulo: alio intimo ac personali, cuius virtute — dum se ad laborem edendum accinxit — intendit votum strictum explere ab ipso tanquam Superiore prolatum atque in praefatione enarratum; alio autem externo et occasionali, quo impellitur ut haec synthesis historica in lucem promat recurrenente nunc secundo Centenario a primordiis Siculae foundationis. Proinde, sicuti ex operis subtitulo nitet, nobis porrigit praesertim memorias bis centenarias, quae compendiosa ac plana forma vestiuntur, ne taedio afficiant legentes. Hunc memorialem finem quo plenius assequatur, materiam auctor apte distribuit in partes duas, quarum prima obiective res gestas illuminat, altera viros clariores encomiologice signat.

In prima equidem parte, antemisso brevi excursu de Missionis siculae praeambulis (pp. 13-31), ante lectoris oculos subicitur celeri calamo prospectus historiae bis saecularis usque ad hodiernos dies tractus atque sublineatis eiusdem tribus maioris momenti periodis (pp. 31-92); his additur peropportuna exploratio de activitate missionaria ac de illius specificis characteribus in Sicilia (pp. 92-125); postmodum successivis paragraphis enucleatur ortus et progressus singularum sex domuum, quae S. Alfonsi militibus apostolicis castra et praesidium obtulerunt (pp. 125-161).

Pars operis altera personas potissimum respicit, ex quibus extollendos delegit viros meritis praestantiores: S. Alfonsum quatenus Siculae foundationis promotorem et patronum, Rev.mum P. Petrum Paulum Blasucci, S. Alfonsi in Sicilia brachium dextrum, Rev.mum Episcopum Andream Lucchesi, missionariorum advocatum atque benefactorem, Rev.mum P. Blasium García, primum inter Redemptoristas siculos sodalem egregium (pp. 161-209); quibus phalanx sociatur eorum, qui sive virtutum nitore, sive calami exercitio, sive episcopali dignitate aut conspicuis in Congregatione functi muneribus posteritati memoriam sui mandarunt (pp. 210-237). Practica totius operis appendix congerit triplicem personarum elenchum: a) Superiorum provincialium; b) Superiorum localium, qui successive singulis sex domibus praepositi sunt; c) Confratrum, qui temporis intervallo bis saeculari pie obierunt in Domino; fideles vocationi suae (pp. 238-254). Explicit volumen cum bibliographia fontium archivalium et operum de materia praesupposita tractantium necnon cum indice personarum ac locorum alphabetico.

Iudicium nostrum fit sponte laudativum, benevolum ac commendativum. In opere namque plane micant indagatoris solertia, ingenii acumen, ponderatio iudicii, dicendi venustas, interdum sale sine felle permixta: quae omnia certatim convergunt in narrationis unitatem ac varietatem; documenta siquidem citantur, ast sparsim summattimque, ne mole obruant potius quam recreent. Sincero gaudio perfunditur lector, cui tandem patet via ut per se ipse dimetiatur effigiem moralem, religiosam et missionariam Rev.mi P. Petri Pauli Blasucci, nemini secundi inter primos S. Alfonsi fidos cooperatores atque imitatores. Magni facimus innovationes missionarias a praefato Rev.mo P. Blasucci in beneficium gentis siculae instauratas, de quibus ille certiore reddidit S. Fundatorem, hunc enixe deprecans ut methodum tali via ac tanto profectu inchoatam sanciret atque in regiones etiam neapolitanas transferret. Summopere nos quoque delectat strenua iuniorum siculorum voluntas abundi in nascentes Columbiae missiones (pp. 59-60), etsi mox ob perturbationes politicas evanuit propositum. Exstat nihilominus P. Iosephus Bivona, cum aliis novem italis missionariis vexillifer alfonsianus in Hispaniam: unde a revolutione an. 1868 expulsus, migravit in Aequatoris rempublicam, hanc triginta annos evangelizaturus; cuius tamen apostolatus notitia in hoc suo curriculo desideratur.

Alias paucas observationes in tono minori subiungimus. Ex praeconcepta partium distributione fieri non potuit quin nonnulli eventus duplicato enarrentur, v.gr. fundatio Bibliothecae Lucchesianae, cuius acceptationi annuit S. Alfonsus non solum propter rationes ab auctore allegatas, verum etiam quia illum praemonuerat P. Blasucci de nullo aut de minimo onere quod Patribus bibliothecariis imposuissent cives agrigentini, haud nimis anxii de studiorum progressu. Ad haec, quoniam iuxta historiae veritatem ab auctore citantur opiniones in neapolitanis domibus minus faventes siculae Fundationi, pari iure colligenda essent iudicia in loco a missionariis acriter exscripta super Trinacriae gentibus.

Demum, ne prolixiores efficiamur, concludimus, cum adnotatione generali de fontibus archivorum. Se abunde hausisse praedicat auctor in archivis Instituti internis, romano nempe, neapolitano ac siculo (p. 255) indeque acervasse locupletem documentorum segetem. Messis tamen documentalis adaugenda manet ex aliis archivis paroecialibus, episcopalibus ac nationalibus. In specimen adferre sufficiat Archivum Status neapolitanum eiusque sectionem specialem: *Giunta di Sicilia*, in qua pro periodo an. 1735-1798 bipartita praebebatur materia: *Consulte* (207 volumina) et *Dispacci* (64 fasciculi). Quod si interea tota haec sectio flammis ultimi belli periisse traditur, manebit superstes sectio huic respondens in Archivo Status panormitano, ubi custodiri praesumimus acta, consultationes, responsa aliaque his similia, quae adamussim quadrare debent cum praefata neapolitana *Giunta di Sicilia*. Quibus aliisque, v.gr. instrumentis notarilibus praecognitis, clarescent novo lumine quaestiones non paucae nondum ab auctore definitive collustratae, quales Oblatorum congregatio, PP. Scholarum Piarum oppositio, controversiae de *Theologia Morali* alfonsiana in insula pugnaciores, temporaneus missionariorum in domos neapolitanas reditus. Et sic porro de caeteris.

Dum ergo cl. auctorem sinceris laudibus et gratulationibus prosequimur, eidem vires corporis et mentis auspicamur, ut primitias quas gaudenter libavimus, complere valeat ac sine nimia mora in lucem deferre.

R. TELLERÍA